Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 813
Quelle:
Copyright:

Autore, qui a. 525. vitam clausit. Exemplar praesens mendis non caret; contentionem tamen cum edit. *Sirmondi Opp. varior.* T. II. *Paris.* 1696. *col.* 183. f. ingressus speciminis ergo quaedam observo. Abest a Codice *Prologus.* L. I. v. 2. lego *capiunt* pro *carpunt.* V. 5. *reatu* pro *reatus.* V. 40. *noster producere* pro *rarus nunc prodere.* V. 58. *formosa mente* pro *formosa in mente.* V. 59. *erecto vultu* pro *erectum vultu.* V. 60. *pondere* pro *foedere.* V. 74. *consperso puluere* pro *consperso in puluere.* &c. quae omnia sustineri possunt. Ante *Librum* VI. adest ad *Apollinarem* Praefatio, verum ἀνεπιγραφως. In ea *Sirmondi quorundam pia* nobis est *quorumpiam.* Codicem in *Germania* scriptum Glossae συγγενοι quibusdam vocibus impositae docent, quas hic colligere juvat. L. I. v. 12. *Instituit, Mabchota* Faciebat a *Machen.* V. 164. *Missile, Ker,* alias *Ger, Geir, Gar, Gaes* Jaculum. V. 281. *Conclusis, Pisparrida* a *Sparren, Sperren,* quasi *Besperret.* V. 287. *Excelso meatu, Urspringi.* V. *Crevit, Arguzit* a *Giezzen, Giessen, Ergiessen.* V. 295. *Papyros* id est Cannas, *Pinazun* nunc *Binsen.* L. II. v. 109. *Levius, Min,* hodie *Minder.* V. 402. *Occurrerit, Nibilti.* Puto a *Nab, neah, neb, nib, prope* quasi propinquaverit, hodie *Nahen, Nähern,* et Rusticis *Nähelt* prope. L. III. v. 117. *Notavit, Scalt,* hodie *Schalt* increpabat a *Schelten.* V. 228. *Miscebant, Scanchtun,* hodie *Schenkten,* a *Schenken, Einschenken* infundere. V. 352. *Notet,* quasi numeret, *Celit* a *Zalen,* nunc *Zählen.* Deinceps manum abstinuit Glossator.

CCCLXVI.

Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 109. f. nitide exaratus, coloribusque illustratus praescriptum habet: *Hunc librum legauit Monasterio Sancte Dorothee Dominus Andreas fundator eiusdem loci.* Fuit is cognomine *Plank* Curio sacer *Garsiensis Alberti* Ducis V. postmodum Imp. II. primum Institutor, dein Cancellarius circa a. 1410. Codex vero ipse inscribitur: *Magni aurelij. Cassyodori senatoris. Viri clarissimi et illustris. questoris palacij. consulis ordinarij. prepositi officiorum atque patricij Variarum* (Epistolarum atque Formularum) *libri primi Incipit Prologus.* In *Libros* XII. distributas exhibet Editio *Job. Garetii Rotom.* 1679. T. I. f. nos tantum XI. censemus, in quibus tamen omnia, quamvis alio saepe ordine, continentur, ut vel e praemisso Elencho liquet. Interim *Cassiodorus* ipse numerum et ordinem *Garetii* in Praef. probat. Adscribo ex hac Praefatione lectionis varietatem: R. 2288

Codex